



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Avxibivs E. 19. Februarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

quoque infula invitum textit. In hac maxima gemma eminebat ultima modestia, quâ iterum mendicabulorum societate purpuratus ambiebat. Atque hos quidem ita foveri ab illo vidisses, ut spiritum illius ex horum pendere crederes. Obiit annis meritisque gravis, eum literis mandare nihil voluisset, pluris faciens scribenda facere, quam scribere facienda. *Ex Ildeph. & Bar. Not. Mart.*

S. AVXIBIVS E. 19. Februarii.

**A**VXIBIO patria Roma fuit; natales & census patritii; indoles à primis annis in Christianam religionem prona. Tam nobilem civem in exilium, qui minimè debebant, parentes egerunt. Cum enim nuptias, ad quas hi pro imperio cogere velle videbantur, non posset aliter quam fugam declinare, in Cyprum abiit felicissimus exul. Nam fausto pede cum in Marcum Barnabamque offendisset, ab illo fonte sancto tinctus & Christianis junctus est. Mox doctor pietatis ex discipulo factus, cum primitias Deo sacrificulū Iovis peperisset, à Paulo magno Episcopus Soluntis est creatus. Mira dictu res. Vnicus Christianus miles AVXIBIVS totam sub jugum Evangelii urbem misit, & ne AVXIBIO careret, alterum Auxibium accivit, & successorem in munere legit, consiliarium

H lium

linum Deo probante. Nam fuit cum sub arbore somnum cepit hic Auxibius, & noster superveniens spectavit ingens formicarum agmen à latebris suis ad dormientem iter instituere, vatesque futurae dignitatis caput ejus in coronam formam ambire. Itaque Auxibio infulam reliquit AVXIBIVS moriens. Tumulum ejus asylon ajunt fuisse morbidosum. Quin cum ad hunc è Papho accurrerent XL. ab orco infessi, obvius ipse AVXIBIVS his prodiit, & cedere sibi, ut æquum erat, è viâ dæmones fecit. *Ex Suriop.*

B. CONRADVS PLACENTINVS C.

19. Februarii.

**D**VM feras venatur CONRADVS, ipse venator cælo fit præda. Etenim cum, quòd feræ dumetis se abdiderent, irâ succensus silvas quoque succenderet, facinusq; id nescio quis periculum laqueo jam jam lueret, accurrit CONRADVS, & innocentem confessione suâ, damnū nummis redemit. Subinde iterum silvas saltusq; , sed sanctiūs jam amavit, & in loco, quem hodie etiam nomine suo nobilitat, vitam solam agere instituit, jamque cælum captare, cælo retia ponere. Verum cum vicissim retia illi Cupido strueret, artes fugiendi nuper à feris doctus in vepres se nudum abjecit, indeq; iterum  
fau-